



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

X. Solanvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

nienſi Sede habitura foret poſt Severinum, hic ipſe vates jam prædixerit Coloniae ſuae. Annis diſcipulum multis ſuperavit Magiſter, an verò & meritis incertum; Animarum namque zelo certâſſe viſus eſt cum Severino Evergiſlus; at dum patriam Apoſtolico accenſus ardore reviſit, haud acceptus in patria Prophetes, Martyr fundere juſſus eſt ſanguinem: unde dyſtichon:

Quos patrios Tunger viridi vitaverat ævo,
Poſt ſenior fuſo ſanguine lavit agros.

Sedit annis 15. aut opinantibus aliis 32.

X. SOLANVS,

Aliis Solinus aut etiam Aquilinus dictus, nonnullorum Scriptorum testimonio ille fuit Coloniae Episcopus, qui D. Ursulae & Sodalium Virginum exuvias honorificis recondidit sepulchris: argumento esse dicunt, quòd priori ætate Hunnorum nullæ copiae in Germaniam advenerint, à quibus hunc Virginum copiosissimum cætum trucidatum esse ipsis affirmantibus constaret. Verùm his inter dubia relictis, Solanus is erat Præful Coloniae, qui aspexit urbem suam à Francis sub Childerico I. Rege expugnari: unde materiem Historiæ abstulit hoc quoque tempore bellum: testimonii loco sint versus:

Mutari vidit Regimen Solinus & urbem,
A Francis subigi flevit Agrippa tuam.

Annos Sedis numeravit 33.

XI. SIMONEVS,

Simoneus tempore Clodovæi Regis inter Reges Francorum primi Christiano nomine insigniti per annos 47. Coloniam conservavit: hujus verò laudes sicuti & aliorum Episcoporum encomia ferè omnia sepelivit interregnum in Occidentis Imperio per annos trecentos perpetuum.